



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. A Christo crucifixo, in morbis aspecto, quænam accipiatur consolatio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Ma. 23. 3.

formam serui suscipere, & cruciatibus se tantis obijcere voluit, ut eum Propheta *virum dolorum: & scientem infirmitatem* vocaret? Tamen enim eas infirmitates, quæ ex temperamenti & humorum dissonantia oriuntur, non habuerit, expertus est tamen dolores afflictionésque, quæ ex eis solent oriri. Qui ergo in lectulo decumbens cum morbis colluctatur, si Christum patientem aspicit, duo illum videt habuisse, quæ ille magnis Sanctis, quando illos vult probare, & in infirmitatibus vehementer exercere, solet dare. Vnum est, quod seipsum omni delectatione, & sensibili solatio, quod corpus fouet, carnemque roborat, penitus priuârit: alterum, quod acerbissimos in parte sentiente

Matth. 26. 28.

Marc. 14. 33.

Luc. 22. 43.

affectus excitârit, *tristitia, timoris, tædij, & agonie*. Consideratione autem dignissimum est, eum, cum in illius arbitrio esset, ut istiusmodi affectus magni vel parui forent, tamen sponte sua voluisse eos esse quàm vehementissimos; enimuero etiam diuturnos, aded ut toto passionis suæ tempore perdurarent, donec in cruce animam exhalaret. Ita Dominus, qui dolores suos, quandocumque voluisset, potuisset vbique & sub flagellis, & sub spinis, & sub clavis, mitigare, eos tamen vbique acuit & auxit, ut copiosa esset apud eum Redemptio. O AMOR AMORE DIGNVS!

VI.

Psal. 68. 1.

Quando igitur morbus, tamquam ignitus serpens, agrum mordet, & doloris acerbitas eò progreditur, ut Spiritum illius contristet, cogatque præ molestia, ingemiscere, atque in agonia constitutum dicere: *Saluum me fac, Deus, quoniam intrauerunt aqua vsque ad animam meam*, timoribus, tædij, tristitijsque grauissimis oppressum; intueatur in auctorem fidei, & soletur se Domini sui arbitrario cruciatu, gratuleturque sibi, ob calicis puri haustum, sine solatij mixtura; animo secum reuoluens, etiam Saluatorem suum fel & acetum, ad exemplum remedijque nostrum, sine melle, gustauisse; atque hac ratione seruum Domini vestigia sequi existimet, eidemque se, cum ipso, cruci affixum esse arbitretur. Quare quoties eum aspicit in cruce pendentem, ac ipsum quoque in eadem secum cruce patientem, dicat: *Et nos quidem iniuste, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit*, Quod si seriò dixerit, seque ad hæc, & plura toleranda

Luc. 23. 41.

da

da obtulerit, experietur mox etiam Christum erga se mitem; qui tametsi purum sibi Passionis calicem elegit, tamen libenter passionis suæ socijs dilutum præbet; sicut tunc suo in cruce socio, bono latroni, fecit dicens: *Hodie mecum eris in paradiso*. Quid Luc. 23. 43. quid enim vitæ, quidquid morbi est in his terris, merum hodie est, ad quod paradisi æternitas sperata, est idem, quod Oceanus ad pluviæ guttam. Qua cogitatione instructus Apostolus dixit: *Existimo, quod non sunt condigne passionis huius temporis, ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis*. Nam etiam Paulus aliquando grauius passus, tali se modo consolatus est, qui scripsit: *Super Rom. 8. 18. abundo gaudio in omni tribulatione nostra: & sicut abundant Christi passionis in nobis; ita & per Christum abundat consolatio nostra*. Cum tamen ipse etiam dixerit: *se supra modum, & supra virtutem fuisse grauatum, ut ipsam taderet etiam viuere, item: se foris habuisse pugnas, & intus timores*. Nimirum omnem in illo dolorem mitigauit, quando meminit Christi sui: quia quantum abundabant Christi passionis in illo, tantum & per Christum abundabat consolatio illius. Atque hoc pacto credibile est, & bonum latronem, ab eo momento, quo dulcissimum illud verbum audiuit: *Hodie mecum eris in paradiso*, statim magna spe perfusum, etiam lato animo, reliquos dolores, & cruciatum illum tolerasse, cum eius crura frangerentur. Cum hoc igitur latrone, aut cum Paulo, Ioh. 19. 21. quisquis decumbens in lecto ægrotus, cogitat se cruci, ad latum Christi, affixum esse, agnoscitque, & se justè, & Christum iniuste in cruce pendere, longè facilius patitur, quidquid patitur, & facile audit Saluatorem dicentem, *hodie, hoc est, breui, mecum eris in Paradiso*. Siquidem crux, per quam ille intrauit in gloriam suam, est lignum, quod ubi missum fuit in aquas amaras, in dulcedinem versæ sunt. Atque, vt S. Gregorius dixit: *Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil est adeo durum, quod non aequo animo toleretur*. Hinc ægrotus Lessius epigraphen illam identidem in pariete legit: AMOR MEVS CRUCIFIXVS EST. Exod. 15. 25.

Hic amor in eo incendit amorem, dum secum reputauit, Christum Dominum non coactum, aut ex necessitate, sicut nos, cum ægrotamus; sed ex mera atque infinita charitate sua, ad nos redimendos, elegisse, & tulisse maximum numerum, pondus, & men-

VII.